



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Angelum, non potuisse peccare appetitu æqualitatis naturæ cum Deo, non
pauci docuerunt. c. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

ria allegati alterius peccati inuidiæ non meminerint, quam prædicti, illorum testimonio aduersarij vti non possunt ad hanc sententiam probandam. Quod vero ait author de mirabilibus sacre scripturæ apud Augustinum lib. 1. ca. 2. Angelum non potuisse peccare affectu inuidiæ dignitatis humanæ, nisi ipse suam amisisset per peccatum; non video qua ratione sit verum; utroque enim modo peccare potuisse angelum, quis ambigat?

DISPUT. CCXXXIV.

An peccauerit Angelus appetitu superbo æqualitatis cum Deo?

Angelum non potuisse peccare appetitu æqualitatis naturæ cum Deo non pauci docuerunt. cap. 1.

Angelum potuisse peccare appetitu superbo æqualitatis Dei secundum naturam, alij Scholastici probabiliter censent. cap. 2.

Angelum appetitu æqualitatis Dei secundum essentiam peccasse certum non est. cap. 3.

CAPUT I.

Angelum non potuisse peccare appetitu æqualitatis naturæ cum Deo, non pauci docuerunt.

Non parum communis apud Scholasticos, & Patres sententia est, angelum peccasse appetitu superbo alicuius æqualitatis cum Deo. Id docent Scholastici omnes, quos in hac disputatione allegabimus, & ex Patribus Ambrosius in illud Psalmi 118. Insuperbi superbos, & Epistola 84. ante medium, Nazianzenus oratione 27. quæ est ad eos qui dicebant, ipsum affectare cathedram Constantinopolitanam, & carmine 6. eiusque commentator Elias Cretensis in oratione 3. quæ est prima inuictiua in Iulianum, explicans illa verba, Quocirca cum potentia, &c. Chrysostomus Homilia 3. de verbis Isaia post medium in 1. tomo, Gregorius Magnus lib. 34. moral. cap. 17. alias 14. Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 2. sententia 8 Bedæ tomo 8. in libro 99. quæ 9. Damasc. 2. de fide, cap. 4. cum inquit, demonem aduersus opili. cum suum Deum sese exfulisse, & aduersus eum rebellare voluisset; quod idem est, ac aliquam cum Deo æqualitatem ambuisse.

Verum inter Scholasticos non levis controvertia est, utrum angelus peccauerit appetitu æqualitatis cum Deo secundum naturam, an solum secundum aliquam similitudinem. Ex quibus non pauci dicunt, angelum non potuisse peccare appetitu æqualitatis cum Deo secundum naturam, sed solum secundum similitudinem. Ita docent S. Thomas, Caietanus, & recentiores Thomistæ in hoc art. & idem Sanctus Doctor in qua. 16. de malo ar. 3. Alexander 2. p. q. 98. memb. 3. Albertus in 2. d. 5. art. 3. Bonavent. art. 1. quæst. 2. Egidius quæst. 1. art. 2. Hervæus quæst. 1. art. 3. Durand. q. 1. n. 13. Marsilius in 2. quæst. 7. artic. 2. conclus. 7. Capreolus in 2. dist. 1. quæst. 2. artic. 1. conclusio 2. & articulo 3. in solutione 1. & 2. contra secundam conclusionem, Ferrariensis 3. contra gentes c. 109. § Sed contra prædicta arguit. Wilhelms Parisiensis 1. part. 2. partis principalis de universo cap. 109.

Prior ratio huius sententiae est huiusmodi. Demon non erat non hebes ingenio, ut non videret impossibile sibi esse, consequi Dei æqualitatem secundum naturam; ergo velle & desiderare illam non poterat; nemo enim id, quod videt impossibile esse desiderat, aut dicendum est, in mente Angelii fuisse errorem de hac re, quod non est credendum.

Qua ratione usus est Aristoteles libro de egypti diabolis capite quarto, his verbis: Si Deus cogitationem potest, nisi in a solus, ut nihil illi simile cogitari possit, modo potuit diabolus velle, quod non potuit inducere, enim ita obtrusa mentis erat, ut nihil aliud simile diceret, aut posse nesciret.

Quod si quis dicat, voluntatem quoque esse posse impossibilem, ut docet Aristoteles tertio ethicorum capite secundo, contra hoc primo obijcere possumus id, quod ipse Aristoteles eodem capite ait, voluntatem quidem esse posse impossibilem, hoc est, affectum simplicem, quem aliqui vocant velleitatem, at vero electionem non posse esse impossibilem, atqui Angelus voluntate electionis peccauit, quia voluntate libera, ergo non potuit peccare appetendo beatitudinem. Secundo quia (ut ait Bonaventura) si Angelus appetisset æqualitatem cum Deo secundum naturam, quæ intellectioni suo eam sibi fingere posset, sequeretur Angelum solum appetisse figmentum quoddam suæ cogitationis, non tamen ipsam æqualitatem cum Deo re ipsa. Tertio obijciunt Sanctus Thomas, quæstione illa 16. de malo articulo tertio ad primum. Hervæus loco citato, Capreolus in illa solutione secundi, Wilhelms hoc modo quantumvis aliqua voluntas possit esse impossibilem: tamen illa solum est imperfecta, quæ vocari solet velleitatis, aut voluntas sub conditione: nec autem non est capax meriti, aut demeriti ergo illi voluntate non potuit angelus peccare.

Posterior ratio sit, ut inquit Sanctus Thomas, Egidius, & Marsilius: vnicuique rei inest naturale desiderium sui esse: si autem angelus appetere se esse Deum per naturam, appetere sui non esse, quod esset contra naturale desiderium: hoc autem fieri non potuit; ergo nec Angelus appetere potuit æqualitatem per naturam cum Deo.

Porro in confirmationem huius rationis explicare oportet, quid sit naturale desiderium. Est autem naturale desiderium, primum inclinatio potentia passiva ad suam perfectionem, sicut aqua inclinatur ad frigiditatem; & de hoc non loquimur in presenti. Deinde est desiderium naturale facultatis agentis ad suum actum, & de hoc non loquimur; manifestum enim est, possent appetere beatitudinem, & vitam in qua facultas nutriendi non indiget alimento, nec habet propriam operationem. Postremo est naturale desiderium elicatum nempe voluntatis, quo aliquid per modum naturæ desideramus, ut salus estendimus 1. 2. quæst. 5. art. vlt. & quæst. 10. artic. 1. modus autem desiderandi naturalis, vel imitaturaturæ, est modus necessario aliquid desiderandi cum determinatione ad unam partem, ut docet Sanctus Thomas prima secundæ in ea quæstione 10. artic. 1. vel quoad exercitium, nempe quia ita aliquid amamus, ut non possimus non amare, vel quoad specificationem, nempe quado ita aliquid diligimus, ut non possimus illud odire, quo genere desiderij appetimus sensum, & vitam. & hac ratione dixit Arist. lib. 1. Metaphysicæ cap. 8. & Thom. 1. 2. quæst. 10. artic. 1. hominem naturaliter desiderare scire, & hoc eodem modo diligere sensum & vitam.

Angelus igitur naturaliter appetit suum esse, ita ut illud odire nequeatur appetere non esse non possit, quod id est. Id quod expresse videtur docuisse Arist. 9. ethicæ, ca. 4. ubi politum dicitur, vultum

Author de
mirabilibus
sacre scri-
pturæ

Ambrosius
Nazianzenus

Elias Cret.
Chrysost.

Prior ratio
pro hac sen-
tentia

ynumquemq; appetere sibi esse, & vivere, & eam partem qua intelligit scilicet intellectum, subiungit hæc verba: *Est enim bonum homini studio esse, unusquisque autem sibi vult ipsa bona.* Facilius vero alius, nullus expetit, cuncta illud quod est factum habere. Quasi diceret, unusquisque bona appetit, ut melior sit, si tamen in alium transmutaretur, non desideraret se fieri meliorem, nec bona habere: non alia quidem ratione, nisi quia nullus potest desiderare se esse alium: nam si desideraret, se esse alium, desideraret quoque illi, in quem transformaretur, omnia bona, sicut & sibi desiderat: & desideraret, illum fieri meliorem, sicut etiam desiderat se fieri meliorem.

CAP. VI. II.

Angelum potuisse peccare superbo appetitu æqualitatis Dei secundum naturam, aliis Scholasticis probabiliter censent.

SAlua reuerentia tantorum Scholasticorum, quos præcedenti capite allegauimus, non possum non existimare satis probabile, potuisse Angelum peccare appetitu superbo æqualitatis Dei secundum naturam. Ita docuerunt Scotus in 2. d. 6. quæst. prima §. dicitur, & §. quia tamen, Gabriel eadem distinct. quæst. 1. artic. tertio dubio secundo. Maior quæst. 1. Basilius quæst. prima §. quia tamen ad primum. Quorum sententia eo solum confirmari poterit, si ostenderimus rationibus prædictæ sententiæ non satis probari talen appetitum in Angelo esse impossibilem. Et sane, quod ad priorem rationem attinet, libenter in primis fatemur, æqualitatem Dei secundum naturam impossibilem esse, cuiusque creaturæ. At vero circa hoc obiectum impossibile, cognitum etiam ut impossibile, potuisse in Angelo esse aliquam voluntatem, non videtur posse negari.

In eius vero confirmationem suppono id, quod Aristot. docet, Ethicor. cap. 2. & duæ faciæ ingenuè fatentur, nempe impossibilem, quæ etiam cognita sunt, ut impossibilia, posse esse voluntatem aliquam, quam vocare solent velleitatem: hoc est, voluntatem, quæ in sola quadam complacentia rei apprehensæ consistit, nec est principium efficiæ querendi illam: id quod contra Caiet. professio probauimus 1. 2. quæst. 13. ar. 4. atque contra ipsum palam ostendemus, hoc ita verum esse de voluntate circa impossibile per se, sicut de voluntate circa impossibile per accidens: dicitur autem impossibile per se, quod ex natura sua in quocumque statu consideratum impossibile est, ut hominem esse equum, aut Deum esse creaturam secundum essentiam. Impossibile vero per accidens dicitur, quod ex se possibile erat, considerata natura rei, ut Petrum non peccasse: sed ratione temporis, quia iam peccauit, impossibile est, nunc non peccasse, postquam peccauit. Quæ de causa dixit Aristot. cap. illo 2. voluntatem quidem esse impossibilem, intelligens nempe simplicem complacentiam: sed electionem non posse esse impossibilem, quia electio est voluntas efficiæ querendi id, quod eligitur. Porro autem, Arist. loqui de impossibilitatibus, quæ reuera iudicantur impossibilia, perspicuum est: nam circa impossibile, quod iudicatur possibile, non tantum potest esse voluntas, sed etiam electio. Hoc autem impossibile, quod iudicabatur reuera im-

possibile, potuit ab Angelo nihilominus apprehendi per modum entis, & conuenientis non quidem iudicio assensus, sed simplicis cognitionis, & apprehensionis, quæ sufficiens est ad mouendam voluntatem, ut 1. 2. qu. 14. ostendimus: quænam modum potest quis delectari cogitando non esse eum, etiam si videat illud impossibile, apprehendendo illud per modum sibi conuenientis. Quocirca nescio, qua ratione Bonau. & Aegidius dixerunt, non potuisse angelum appetere æqualitatem Dei, quia non potuit tale quid in mentem ei venire: hoc enim accidere potuisse sine errore in intellectu angeli, disp. seq. perspicuum fiet.

Quæ vero in confirmationem huius prioris rationis præcedenti opinione obiciebantur, facile dilui possunt. Ad primum fatemur, quidem, angelum libere peccasse: cum tamen colligitur, ergo ex electione peccauit, distinguendum esse censemus. Aut enim nomine electionis, seu electiue (ut vocant) voluntatis, intelligimus liberam voluntatem tantum, & hoc modo peccauit ex electione: & si peccaturus erat, necessario hoc modo peccaturus erat: hoc autem genus electiue voluntatis potest esse inefficax & simplex affectus delectationis, veluti cum quis odio habet Deum, simplici tantum affectu odij desiderans illi malum, peccat quidem, etiam si affectus ille non sit efficax, quia videt impossibile esse, tale malum Deo accidere. Aut nomine electionis intelligitur voluntas efficiæ, quæ tendit ad rem in executione, & hæc non requiritur ad peccatum, ut manifestum ex dictis est. De ea vero dixit Arist. electionem non esse impossibilem, ut ostendimus 1. 2. quæst. 13. art. illo 4. ubi etiam Scotum reprehendimus, quia docet loco citato, impossibilem esse electionem. Quæ vero ratione reprehensione digna sit, ibi dem ostendemus. Potuit igitur Angelus peccare libere, & electione, quatenus requiritur ad peccatum, etiam si appeteret æqualitatem Dei secundum naturam.

Ad secundum dicimus, si Angelus appetisset æqualitatem Dei secundum naturam, appetisset sane figmentum, quod suo intellectu ipse sibi excogitasset: nihilominus vere etiā hoc modo peccare potuisset: nam etiam in huiusmodi figmentis immorari peccatum grauissimum esse potest, ut si quis cogitaret, se inferre aliquod malum Deo, ut in eo ex odio delectaretur: in figmento quidem detineretur eius appetitus, nihilominus eius peccatum graue esset. Sic igitur, æqualitatem illam cum Deo esse solum figmentum cogitationis creatæ, nihil ob stare posset, quo minus circa illud graue esset peccatum.

Ad tertium fatemur, circa æqualitatem illam Dei non potuisse Angelum peccare, nisi affectu simplici, quem vocat velleitatem. Quod vero addunt prædicti doctores, quibus etiam consentit Albertus 2. parte, tract. 5. q. 22. memb. 1. ad penult. & ult. Albertum, in tali affectu non posse esse meritum, bonum, aut malum, nescio qua ratione verum esse possit. Quis enim neget, esse actum perfectissimæ charitatis, & magnum apud Deum, quæ (ut communiter fertur, Augustinus loquens cum Deo dicebat, *Si ego possem esse Deus, mallem, te, quæ me esse Deum.* Hic autem actus simplicis complacentiæ, & velleitatis est, & circa impossibile. Præterea actus meritorius est, cum quis, postquam peccauit, cogitat se, ac si non peccasset, & in hoc delectatur.

Confirmatio
prioris ratio-
nis ostendit
aut.

2.

Albertum.